



Lij dicunt, aspiciendum esse ad signum tertiæ domus, & ad eius dominum, & qui ibi sint planetæ, & quomodo eam domum aspiciant. Nam si fortunantes ibi fuerint, uel eam bene aspexerint, dic bonum & multitudinem prosperitatis eorum. Et si mali ibi fuerint, uel eorum aspectus, dic contrarium.

Almuten significatorum fratrum trahitur à	}	Cuspide tertiæ domus	} Qui habuerit plures dignitates essentielles in his locis, hic erit generalis Almuten fratrum. Si sunt in signis paucorū aut multorū secundum hoc significant fratres.
		Domino eius	
		Consignificatore Marte	
		Domino eius	
		Primo dño triplicitatis tertiæ	
		Secundo	
		Tertio	
Parte fratrum			
Domino eius			

Saturnus & Sol significat fratres maiores, Mars & Iupiter medios, Venus & Mercurius minores. Si fuerint in loco potente & fortunati, significant fratres potentes & fortunatos, ac longæ uitæ. Si fuerit contrarium, significatur contrariū, scilicet paupertatem & breuem uitam fratrum. Si fuerint in signo masculino, significant fratres. Si in foeminino, sorores.

Saturnus & Mars orientales, significant maiores & præcipuos fratres. Occidentales, minores & infimos.

Dominus ascendentis si aspexerit Saturnum aut Martem, aut ambos malo aspectu, significat paucam pacem inter fratres. Si aspexerit bono aspectu, significat bonam amicitiam inter eos.

Planetæ qui habent dignitatem in loco Solis, Lune, & Ascendentis, si fuerint in signis masculinis, aut maior pars eorum, habebit natus fratres longæuos ac fortunatos. Si fuerint in signis foemininis, habebit plures sorores quàm fratres. Si dicti planetæ fuerint orientales, erunt fortunati fratres; si occidentales, infortunati.

Boni planetæ in tertia domo, & dominus tertiæ fortunatus in signo masculino fratres denotant fortunatos. Sed in signo foeminino, sorores.

Quot planetæ aspiciunt tertiam domum, uel dominum tertiæ, qui in masculinis signis fuerint, tot fratres habebit. Et si fuerint in signis foemininis, tot sorores. Et si aspexerint se bono aspectu, uiuent. Si malo, morientur cito.

Numerus fratrum scitur à distantia domini triplicitatis domus tertiæ ab ascendente ad ascendens, si fuerit supra terram, aut ab ascendente ad ipsum dominum triplicitatis, si fuerit sub terra, dando cuilibet signo unum, & si aliquod eorum fuerit commune, numerum duplicabis.

Numerum fratrum scies à signo tertiæ domus, nam si fuerit ex signis plurimum filiorum, & dominus eius similiter, dic plures fratres futuros. Si paucorum, & dominus eius similiter, dic paucos.

Numerus fratrum scitur ex numero signorum inter partem fratrum & eius dominum, commune signum duos, & quilibet planeta inter eos, unum dabit.

Cancer, Pisces, Scorpius, plurimorum sunt.
Leo, Virgo, Capricornus, & principium Aquarij, paucorum uel nullorum.
Cætera signa sunt mediocria in multitudine & paucitate.

Aspice planetas qui fuerint inter Ascendens & quartam, Nam si sint fortunæ, pariet mater iterum filios. Et si fuerint mali, abortum faciet mater, uel qui nascetur, primò morietur, hoc expertum habeo.

Dominus signi tertiæ domus, si combustionem intrauerit, significat paucitatem fratrum.

Mars